









Regimonti

1740.

Othius, Jacobus Henricus: De veris patriae et Dominicae  
protestationis differentis.

1741.

Othius, Jacobus Henricus: De actibus imperii Germanici  
in Prussia possessionis factis venditatis.

1743.

1. Lehmann, Daniel: Pars I dissertationis evincens  
I quatuor vetera legatorum genera per vindictam  
nem, damnationem, sinendi modum, et proceptionem  
punctus subleto esse, nec eorum vel aliquod dux-  
lexat vestigium in corpore juris civilis re-  
manere II. non posse legataris testatorem vi-  
vum legatum praestare.
2. Lehmann, Reinholdus Fridoricus, de: Jurisceptorum.

1744.

1. Bally, Theodorus: De ludis publicis.

1744.

2. L'Estocq, Franci Ludovicus: De navibus rebusque  
de d'is crimines tempestatis maritimalis pro delictis  
habendis vel non habendis
3. Waga, Stephanus: De eo, quod iustum est circa  
incentum juris civitatis.

1745.

1. Kurella, Theobaldus: Unter die Bekkholde, nach  
welcher ein Cursum juris ... eroffnet u. zu Ende gebracht  
werden soll.
2. Schinemannus, Georgius Theodorus: De renunciatione  
iuris juris non valida.

1747.

1. L'Estocq, Johannes Ludovicus: De iuris dictione  
iudicis Gallici Regionis montani.

1751.

Funck, Johann Daniel : De remuneratione officii publici.

1752.

Keller, Johann Reiskaldus : De hereditatibus liberorum  
naturalium paternis et maternis..

1755.

L'Estocq, Johann Ludovicus : De indole et jure

instrumenti Indaeis usitati, cui Marmor no.

men est.

1763.

1. Funck, Johann Daniel : De actibus juri D'icis  
sub conditione mandatae religionis gestis.

2. Grelab, Daniel : De jure D'itione in causis matu-  
nariabilibus et hodie quo exercitio in foro Geda-  
nensi.

1765.

Braun, Christianus Renatus : De effectibus et  
poenis Divortii tam partialis quam totalis

1771.

Fester, Wilhelmus Benhardus: De Depositione <sup>et</sup> Deposito  
pecuniarum ac numeratarum generalis.

1779.

Haltzhaus, Georgius Fridricus: De tempore in jure  
civiliter ac naturaliter computando.

1781.

Kochlerus, W. Bern.: Praetermissa ad Consti-  
tutionem Is. 8. W. 8. v. Accessit in dea lectionem  
per hiemem 1781 habendam.



Q. D. B. V. 1744, 3  
DISSERTATIO JURIDICA,

QUAM,

OCCASIONE EDICTI REGII D. III. JUNII MDCCXL. PUBLICATI,

DE EO QUOD JUSTUM EST

CIRCA

INCESTUM JURIS  
CIVILIS

SUB EXORDIO NATALIS ACADEMIÆ REGIOMONTANÆ TERTII,  
CONSENTIENTE MAGNIFICO FCTORUM ORDINE,

PRÆSIDE

DN. STEPHANO WAGA

J. U. D. & P. P. h. t. DECANO

SUPREMI IN REGNO BORUSSIÆ TRIBUNALIS CONSILIARIO,

PRÆCEPTORE SUO,

PLACIDO ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

AUCTOR

THEODORUS REINHOLDUS SCHWEDER

J. U. CULT. REG. BOR.

AD DIEM XXV. SEPT. MDCCXLIV.

IN AUDITORIO MAXIMO.

HORIS CONSUVETIS.

REGIOMONTE, PRELO DORNIANO.

VIRIS,  
PRAENOBILISSIMIS, JURECONSULTISSIMIS,  
ATQUE DOCTISSIMIS,  
D O M I N O  
JOHANNI ANDREAE  
SCHWEDER

AULAE AC JUSTITIAE CONSILIARIO, JUDICIQUE AULICI  
COESLINENSIS ADVOCATO FAMIGERATISSIMO,

III ET

D O M I N O  
MATTHIAE SCHWEDER

CIVITATIS SCHLAVIENSIS SECRETARIO, AC NOTARIO  
PUBLICO JURATO MERITISSIMO

FAUTORIBUS AC PATRUELIBUS  
BENEVOLENTISSIMIS

Plagulas haec studiorum primitias, omni  
observantiae ac dexteritatis cultu, cum  
non fucatis, verae ac perennis felicitatis  
suspitiis

dat, dicat, dedicat,

AUCTOR.



A. D.

DE  
EO, QUOD JUSTUM EST  
CIRCA  
INCESTUM JURIS CIVILIS.

§. I.



Impetum nec inconsultum, nec temerarium me suscepisse confido, cum Dissertationem circa *Incestum Juris Civilis* excudere audeam. Cum enim varii varias circa hanc conjunctionem, sive eadem vero conjugio, sive vago coitu sit inita, ob diversas Jurium dispositiones foveant opiniones, non supervacaneum fore judicavi, in tam magno Jurium inter se divortentium discrimine, in genuinas propositae materiae rationes inquirere, operamque meam qualiscunque fuerit, levidentem, Eruditorum disquisitioni subicere.

Ingressus.

§. 2.

Conjugium a conjungendo seu copulando dictum, teste CONR. RITTERSHUS. *ad pr. f. de Nupr.* Juris Naturae esse, & quoad instinctum naturalem, animalibus rationabilibus competere, quorum tamen conjunctiones secundum regulas *justi, honesti, decorisque*, sui ipsius conservandi ac propagandi gratia, semper sunt instituendae, nemo inficias ibit. Ipsa Juris Naturae praecepta, ante omnia

Conjugium est Juris Naturae.

A

Socia-

Socialitati esse studendum iubent, atque praecipiunt, qua homo tranquillitatem, salutem, conservationem, ac sui ipsius propagationem promovere possit. HUGO GROTIUS. *de J. B. & P. L. 2. C. 5. §. 8. n. 1. 2.* PUFEND. *de Offic. hom. & Civ. Cap. 3. §. 7 & 9.* BRUCKN. *Decis. matrim. in Proem. §. 4.* exinde non incongrue Conjugium Societas Vitae aut Conjugalis L. 1. ff. *de Act. rer. Amor.* appellatur. Hoc sensu conjugium solummodo humani generis est proprium, quamvis non negandum, Imperatorem *in pr. J. de J. N. G. & C. ac L. 1. §. 3. ff. de J. & J.* conjugium & brutis in sensu plane improprio adscripsisse, cum tamen bruta animalia ratione careant, & omnia, quae agunt, non dictamine rectae rationis, uti homines, sed solo naturali instinctu fuscipiant, exinde recte inquit HOPP. *in Comment. ad pr. J. de J. N. G. & C. n. 1. voc. omnia animalia: Bruta revera nesciunt, quid agant, & aliter agere non possunt, quam agunt.* Haec socialitas conjugalis dicitur: *viri ac mulieris tam animorum, quam corporum conjunctio, individuum vitae consuetudinem continens, cujus synonyma sunt quam plura, audit enim Conjugium vel Matrimonium, vel Nuptiae §. 1. J. de parr. potest. L. 1. ff. de R. N. pr. J. de J. N. G. & C. pr. & §. 3. J. de Nupr. vel Connubium L. 3. pr. C. de Incest. & Inur. Nupr. L. ult. pr. & §. 2. ff. de Divort. vel Confortium Vitae L. 1. ff. de R. N. L. ult. C. de Serv. fugit.*

Conjugii definitio.

Conjugia LL. sunt determinata.

Hinc Incestus prohibitus.

§. 3.  
Ne tamen homines, voluptatibus incensi, intempestiva cupidine, ac honestati, decoroque contraria libidine impulsis, nefarie se jungant, ac pro lubitu matrimonia ineant; Jura & divina & humana vagis excursibus, certos fines terminosque posuere; hos qui transgreditur sons, ac reus habetur, & incidit in poenam, delicta carnis committentium. Inter haec carnis delicta non immerito est referendus *Incestus* qui L. 38. §. 1. & 3. D. *ad L. Jul. de Adultr.* gravius crimen adulterio dicitur, & si ille inter ascendentes & descendentes committitur, vocatur, *Incestus* testante Paulo L. *fin. ff. de R. N. Juris Gentium* sive *juris Naturalis*, quia ambo Jura non sibi opposita sunt, sed solummodo ratione objecti inter se differunt; illud enim intuitu integrarum gentium, hoc respectu singulorum hominum consideratur, in effectu autem conveniunt, & fluunt ex eodem principio, ac rectam scilicet rationem pro fundamento habent HUGO GROTIUS. *de J. B. & P. L. 2. C. 5. §. 12. n. 3.* HOPP.

HOPP. *Comment.* ad §. 1. *J. de J. N. G. & C.* Iſtis juribus Inceſtus ille ideo repugnat, quod honeſtati, decoro, juſtoque ordini, non conſentaneum eſt, illos jam ſanguine unitos ac conjunctos, iterum vinculo matrimoniali ſive copula carnali ſe conjungere, ac reverentiam aviam, patriam, filialem, in matrimonialeſ transformari HARPRECHT. ad §. 1. *J. de Nupt. n. 7. 9. L. 14. §. 2. ff. de R. N.* qualem nefandum concubitus bruti quaedam animalia adſpernari teſtantur ARIST. *L. 9. Hiſt. anim. c. 47. NOVEL. 12. c. 1.*

## §. 4.

Verbis de Inceſtu factis, bonae methodi praecepta poſtulant, ut ad ſtatum controverſiae rite neſtendum, definitionem rei propoſitae exprimam, quo & Jureconſultorum Coryphaeus Cicero *Lib. 1. Offic. c. 3.* tendit ajens: diſputationem ſemper a definitione proficiſci oportere, ut intelligatur, quid ſit id, de quo diſputatur, hancce admonitionem ſecutus definio Inceſtum: quod ſit *Concubitus inter conſanguineos, vel adſines jure conjungi prohibitos, ſcienſer perpetratus.* STRUV. *Syntagm. Jur. Civ. Exerc. 49. Th. 38.*

## §. 5.

Inceſtus a DD. dividitur in Inceſtum ex *Jure Gentium* Inceſtus diſſive *Naturali* & ex *Jure Civili.* MÜLLER. ad STRUV. *S. 7. C. Exerc. 49. Th. 38. lit. a* Inceſtus *Juris Gentium*, committitur in linea recta ab aſcendentibus & deſcendentibus conſanguineis (§. 3.) v. g. a parentibus cum liberis, inter patrem, avum, filiam, neptem &c. in infinitum *L. ſin ff. de R. N.* ac tale matrimonium dicitur inceſtum, nefandum, damnatum NOV. 12. c. 1. Germ. in ſpec. *Blutſchand §. 1. J. de Nupt.* HAHN ad WESENB. ad *Tit. ff. de Leg. Jul. de Adult. verb. qui inceſtu* RITTERSHUS. ad *Tit. J. de Nupt. §. 1. verb. ergo non:* quamvis & alii aſſerere intendunt, hunc Inceſtum quoque tam in adſinitate perfecta inter vitricum & privignam, ſocerum & nurum, ſocrum & generum, quam in imperfecta, inter filium & concubinam patris committi *L. ult. D. de Condict. ſ. cauſ.* STRUVII *Diſſert. de Venere illicita Cap. 3. §. 22. p. 15.* ut & HAHN. ad WESENB. *Tit. ff. de R. N. p. 147.* ſicuti etiam Imperator noſter in §. 1. *J. de Nupt.* aſſerit: talem Inceſtum committi a patre adoptivo, filiam adoptatam ducente, non obſtante facta emancipatione.

## §. 6.

Rationes  
prohibitio-  
nis Incestus  
Juris Genti-  
um.

Jure divino *Lev. 18. v. 6.* prohibitio generalis extat; *ne quis concubar, cum ea, quae ipsi sanguine proxima est: & in sequentibus specialiter inter parentes & liberos conjunctio interdicitur.* Rationem intuitu matris, Divinus Legislator istam suppeditat, quia *mater tua est, cujus nuditatem propterea non esse detegendam: intuitu liberorum: quia propria parentum nuditas est.* Hoc ipso DEUS innuere voluit, quod ob *reverentiam* parentibus a liberis debitam, quae perpetua est, hi abstinere debeant a concubitu cum parentibus, cum pater & mater maneat pater & mater, licet liberi maxime sint adulti. Contra, parentes propter *pudorem* debent abstinere ab incestuosa cum liberis commixtione, quia maxime impudicum habetur, si quis propriam nuditatem detegat. Propter reverentiam ac pudorem itaque nuptiae in linea recta Jure Divino in infinitum prohibita sunt. Et licet voces *patris & matris* item *filii & filiae* in LL. divinis tum *stricte* tum *late* capiantur; hic lata acceptio quadrat ob relationis necessitatem, nam avia, quamvis decimo gradu sit, mater tamen est, quoniam ex ejus sanguine nati sumus, & neptis tuae in decimo gradu constitutae nuditas, tua nuditas est, quia & haec de tuo sanguine participat; & quo magis ascendis, eo majorem reverentiam debes ascendentibus tuis, contra quo magis descendis, eo major est pudendi ratio, utpote quae reverentiae cohaeret. Conf. THOMAS. *Jurisprud. divin. Lib. 3. C. 3. §. 137 seqq.* Poenae in hunc Incestum *Jure divino* praeter excidium, quod DEUS transgressoribus *Lev. 18.* comminatus est, occurrunt *forenses* Magistratibus demandatae *Lev. 20.* vel *capitales* vel *non capitales.* De *Jure Romano* ultimum quoque esse supplicium hujus criminis, DD. communi ore asserunt. CARPZ. *proc. crim. qu. 72.* HAHN. *ad WESENB. cit. l. p. m. 749.* STRUV. *Exerc. 49. Th. 38. n. 1.* *Jus Borussicum* poenam gladii sancit in tantum, ut licet intercessio conjugis in adulterio locum inveniat, & mitigationem poenae quandoque post se trahat, hic tamen aliud dicendum sit, ita, ut licet uxor marito, qui cum propria sua filia Incestum commisit, velit ignoscere, & ulterius, non obstante hoc delicto, ei cohabitare, tamen non audiatur, sed aequae pater & filia, modo haec justae aetatis sit, & in delictum hoc consentire potuerit, poena afficiatur capitali *Pr. §. L. 6 Tit. 7. A. 5. §. 2 & 3. p. 150.* COLER. *Part. I. Decis. 174. n. 18. 19.*

Poenae in  
Incestum J.  
Gentium  
constitutae.

§. 7.

## §. 7.

Incestus *Juris Civilis* qui & legibus, & moribus prohibetur, vel committitur in lineis collateralibus inter Consanguineos, vel inter Adfines, vel inter Eos, ob rationem aliquam Civilem aut honestam conjungi prohibitos *L. 8. 39. & ult. ff. de R. N. L. 38. §. 2. ff. ad L. Jul. de adult.* Horum contractae nuptiae vocantur prohibitae, inutiles §. 2. & 12. *J. de Nupt.* RITTERSH. *ad Tit. I. de Nupt.* p. 67. germ. verbothene und unordentliche Ehe oder Vermischung, vid. MÜLLER. *ad STRUV. l. c.* Consanguinei sunt illae personae, quae sanguine inter se connexae sunt *L. 1. §. 10. ff. de suis & Legit. haered.* & ex his personis fluit Consanguinitas, germ. Bluts-Freundschaft, quae ab HOPP. *in Comment. ad Tit. I. de Nupt.* definitur; quod sit *Vinculum personarum ab eodem stipite descendentium carnali propagatione contractum* ac distinguitur in *Veram*, quae ex qualicunque etiam illicita sanguinis communione v. g. fornicatione, stupro oritur ac in *Fictam* quae legibus solummodo introducta, v. g. per adoptionem &c. Consanguineos subdividunt in *Agnatos*, qui ex paterna linea originem trahunt, utpote fratres germani, ac consanguinei, fratrum liberi, nepotes &c. §. 1. *J. de Legit. Agnat. Tutel.* germ. *Ugnaten*, alias *Schwerdt-Magen*, die gleiches *Wapen*, *Schild* und *Helm* führen; & *Cognatos*, qui ex materna linea orti ac progeniti sunt *L. 10. §. 2. D. de Grad. & adfin.* germ. *Mutter Bluts-Freunde*, alias *Spuhl-Magen*, v. g. Fratres uterini, qui ex eadem matre, quamvis diverso patre nati sunt, aut brevius: Omnes a latere paterno propinqui vocantur *Agnati*, linea vero materna conjuncti nuncupantur *Cognati*.

Incestus *Juris Civilis* inter quos committatur.

Quid Consanguinitas?

## §. 8.

Cognatio iterum multifarie sumitur quae est 1) vel *Civilis* Quotuplex per adoptionem ab HOPP. *c. l. ficta dicta L. 1. §. 4. ff. und. Cogn. Cognatio?* §. 1. *J. de Nupt.* aut ex sponsalibus orta, ut scil. inter patris aut filii sponsam, vel sponsae matrem §. 9. *J. de Nupt. L. 12. §. 1. 2. L. 14. in fin. P. de R. N.* 2) vel *Spiritalis* quae inter susceptorem & ex sacro baptisinate susceptam contrahitur a LUDOV. *in Doctr. ff. L. 23. T. 2. §. 5.* similiter ficta cognatio vocata. Conf. *tot. Tit. X. de Cognat. spirit. L. 26. C. de Nupt.* ubi Imperator Justinianus in fine loquitur. *Nihil aliud sic inducere potest paternam affectionem, & justam*

*justam nuptiarum prohibitionem, quam hujusmodi nexu, per quem, DEO mediante, animae eorum copulatae sunt, vel 3) Servilis quae inter peregrinos ac servos eorumque liberos consistebat, quorum conjunctio non Matrimonium sed Contubernium, L. 3. C. de Incest. Nupr. ac Conjuges appellabantur Contubernales L. 41. §. 2. P. de Legat. III. L. 81. D. de Condit. & Demonstr. 4) vel Naturalis cognatio oriens per foeminam, quae corpore quaeestumfacit MÜLLER ad STRUV. Exerc. 37. Th. 76. lit. a. Tandem 5) Naturalis & Civilis simul quae ex justis nuptiis inducitur L. 4. §. 2. ff. de Grad. & Adfin.*

§. 9.

Quid & quomodo duplex linea?

Ad praesentem materiam clariorem reddendam, notandum, quod Consanguinitas (§. 7.) certis distinguatur *Lineis & Gradibus*. Lineam quasi a filo ex lino confecto dictam, quo fabri materiarii utuntur ad signandam materiam definit HOPP. in *Comment. ad J. §. 6.* quod sit *Series personarum ab invicem descendendum*, quae vel *Recta* vel *Collateralis* est, illa iterum vel *Ascendens* sive *Superior* quae personas exhibet, a quibus nos generati sumus, ut pater, avus, mater, avia &c. vel *Descendens* sive *Inferior* in qua personae a nobis generatae continentur v. g. filius, nepos &c. L. 1. pr. ac L. 9. π. de Grad. & Adfin. *Collateralis* linea exhibet personas, nobis ex latere conjunctas, quas nos non generavimus, neque ex illis nati sumus, sed stirpem tantum nobis cum habent communem, ut frater, soror, patruus, avunculus &c. hanc subdividunt JCTi in *Aequalem* lineam, si personae computandae aequa graduum distantia sunt a communi stipite v. c. frater & soror, horumque liberi &c. ac *Inaequalem* quando a communi stipite inaequaliter distant, dum alter communi stipite longius abest altero v. g. fratris filius, avunculus, patruus.

§. 10.

Quid Gradus, & quomodo computantur?

Personae consanguinitate & adfinitate conjunctae, efficiunt Gradus, hinc etiam de Gradibus dicendum, a similitudine scalarum proclivium dictis, ut ibi de proximo in proximum ascendamus ac descendamus per *L. ult. §. 9. 10. π. de Grad. & Adfin.* estque *Gradus distantia unius personae ab altera per generationem facta*. Exinde Graduum Computatio nil aliud est, quam Investigatio certa quam late a se invicem distant personae supputandae, tam in consanguinitate, quam adfinitate. HOPP. *Comment. ad §. 1. J. de Nupr.* Haec itaque



itaque investigatio instituitur vel *Jure Civili*, cum tot gradus constituuntur, quot sunt personae, & numerationis initium semper fit a persona a qua (scil. gradus postulatur) non omitta ulla intermedia persona necessario supputanda, neque minus necessaria inferenda, usque ad personam ad quam (scil. perveniendam aut supputandam) dempto tamen stipite communi, ex quo singulae proveniunt: vel *Jure Canonico*, ubi tot constituuntur Gradus, in linea collateralia aequali, quot sunt generationes, & si latera sunt inaequalia, a longiori semper instituitur computatio *Horr. Comment. c. l. §. 10.* quia haec persona, inaequalis sive longior ab altera, linea collateralis, distans, novam jam incipit generationem. Veram, diversi supputandi modi, a *Jure Civili*, rationem Canonici exhibentes provocant ad *Exod. 20. v. 5.* ubi DEUS puniturus sit hominum peccata usque ad tertiam ac quartam generationem, & ex hoc fundamento Jus Canonicum omnes, unius patris liberos, pro primo gradu, sive una generatione assumit, ac supputationis hujus continuationem ad secundam, tertiam &c. generationem observat, quod vero solum de linea collateralia sive obliqua intelligendum, in linea enim recta sive perpendiculari simili supputat modo Jus Canonicum, quam Jus Civile. Diffusam vero *Jcto-*rum controversiam circa *Quaest. An & quatenus Juris Civilis computatio sit praeferenda Juris Canonici supputationi?* silentii populo contego, hoc enim scopo meo nihil addit, nec detrahit, sufficiat dixisse: Computationem Civilem in Successionibus, Tutelis, Jure retractus &c. Canonicam autem in Matrimonialibus Causis aevo nostro usurpari conf. *Ill. Direct. & Cancell. de SAITME Einleitung zur Preussischen Rechts-Gelahrtheit Lib. 1. Tit. 5. §. 7. p. 42. Horr. c. l. in not. §. 11.*

## §. II.

Praemissis necessario praemittendis ad rem ipsam me confero. Initio non mediocri Jurium scil. *Civilis & Canonici* obvenit discrimen circa computationem graduum. Utenim taceam (§. praeced.) adnotatam differentiam, *Jus Civile Romanum*, graduum computationem in causis matrimonialibus fere plane ignorat, exceptis §. 4. *J. de Nupt. ac L. 17. §. 2. ff. de R. N. Ulp. in Fragm. Tit. 5. §. inter parentes* ubi & paucissimis verbis: *quamvis quarto gradu*, de gradibus mentio facta. In nuptiis etenim maxime naturalis

Differentia  
J. Civ. & Cau.  
in comp.  
graduum.

si unum  
supra de  
& al  
vid. [ab]

turalis pudor & honestas observari debent per *L. 14. §. 2. D. de R. N.* & dubius casus occurrensve quaestio facillime expediri potest, recensione solummodo personarum conjungi prohibitarum, juxta praecepta DEI *Lev. 18. 20.* & Imperatoris *Tit. J. D. & C. de Nupr.* Maxima parte enim *Jus Civile* graduum computatione utitur, in causis successio- num, tutelarum, bonorum possessionis &c. *L. ult. pr. ff. de Grad. & Adfin.* eandem sequimur in feudalibus, conf. SAM. STRYCK *Exam. Jur. Feud. C. 16. Qv. 18.* ubi necessitas inquirere postulat, quis sit proximus, aut remotus; proximior enim semper removel remotiorem. Tandem ultimo adhibetur *Juris Civilis* computatio in materia Testimonii dicendi *cit. L. ult. pr. ff. de Grad. L. 4 & 5. ff. de Test.* sicubi multi graduum computatione excipiuntur, ne illi inviti contra proximos cognatos & adfines testimonium litis dicere cogerentur. Quid autem de *Jure Canonico* tenendum? hoc solummodo doctrinam de gradibus in prohibendis & permittendis adhibet matrimonialibus causis, a quoto utpote Consanguineorum & Adfinium gradu nuptiis sit abstinen- dum, quod *Alex. 11. C. 2. c. 35. qv. 5.* diffiteri nequit, inquires: *In Legibus ob nihil aliud ipsorum graduum mentio facta est, nisi ut hereditas vel successio ab una ad alteram personam inter consanguineos defera- tur. In Canonibus vero, ob hoc progenies computatur, ut aperte mon- stretur, usque ad quoram generationem a consanguineorum sit nuptiis ab- stinendum. Ibi praescribitur, ut hereditas propinquis modo legitimo con- feratur, hic vero, ut rite & canonice inter fideles nuptiae celebrentur. Jus statuarium nostrum Prutenicum, graduum computatione, consultius tam in causis nuptialibus Canonica, quam in hereditariis Civilis, utitur vid. Pr. L. P. 1. a. 1. §. 2. p. 278. it. P. 2. Tit. 12. cor. Art. 4. p. 267.*

## §. 12.

In quonam gradu Incestus Jur. Civilis committatur lineae aequalis, & de J. Div. Inter Consanguineos ergo committitur Incestus *Juris Civilis* (§. 7.) juxta *Jus Divinum* in primo gradu lineae aequalis secundum computationem canonicam, quae in causis matrimonialibus observatur, scil. inter fratres & sorores sive illi sint *Germani*, sive *Unilaterales*, hique vel consanguinei vel uterini. De singulis enim perspicue loquitur Lex Divina. Sororem *germanam* intelligit per eam, quae domi nata, *unilateralem* quae foris, id est ex alio conjugio, *uterinam*, quae est matris tuae filia, *consanguineam* quae patris *Levit.*

*Levit.* 18. v. 9. Quamvis alii ita explicant, ut quae *domi*, in conjugio, *foris*, extra conjugium nata dicatur. *Jus Romanum* sequitur *Jus Divinum*, §. 2 & 4. *J. de Nupt.* *Jus Canonicum* hanc prohibitionem ad quartum gradum inclusive extendit c. 8. *X. de Consang. & Adfin.* *Jus Borussicum* ad tertium exclusive *Pr. L. L. 2. T. 2. A. 1. §. 8. p. 280.* In linea inaequali *Jus Divinum Lev.* 18. v. 12. & 13. inter amitam & materteram expresse tantum nuptias prohibet. *Jus Romanum* ulterius progreditur, quamdiu scilicet respectus parentelae adest §. 3 & 5. *J. de Nupt.* *Jus Canonicum* de linea inaequali cum respectu parentelae conjuncta specialiter nil disponit, DD. tamen putant, tali casu prohibitionem extendi in infinitum. *Ludov. Doctr. ff. L. 23. T. 2. §. 13.* *Jus Borussicum* in linea inaequali tertium prohibet gradum *cir. loc.*

§. 13.

Circa hunc Incestum Juris Civilis ex linea collateralis aequali primo occurrit matrimonium inter Fratres & Sorores de Jure Divino ac humano prohibitum. Illi, qui de Jure Divino probare intendunt hocce matrimonium non esse prohibendum, provocant ad exemplum Abrahami Patriarchae, qui Saram consanguineam suam sororem in matrimonium duxit *Genes.* 12. v. 13. c. 20. v. 2. 12. 13. porro, si nulli Praeadamitae, statuendi, quod tamen absurdum esset, sequitur, liberos Adami & Evae inter se matrimonia iniisse, hinc si conjunctio fratrum & sororum Incestus Juris Naturae esset, sequeretur, totum genus humanum ex incestuosis conjunctionibus oriri, quod forte nemo asserere & se ipsum incestuosi stemmatis propaginem arguere vellet, sunt verba *Dr. BRÜCKNERI Decis. matrim. C. 5. n. 7. p. 250.* Apud multas quoque gentes matrimonia fratrum & sororum licita fuisse, ut apud Aegyptios, Athenienses, Spartanos aliasve gentes plures testantur Historici abunde TYRAQUELL. in *Leg. Connub.* CORN. NEPOS in *praefat. it. CIMON. c. 1.* huic accedere videtur *Jus Civile*, quod nuptias inter fratres & sorores solummodo prohibitas (§. 7.) nullatenus incestas (§. 5.) vocat §. 3. *J. de Nupt. L. fin. D. de R. N.* Verum enim vero allatum Abrahami exemplum non ea causa, in Sacris Litteris notatum, ut more ejus tale inceant matrimonium omnes, quum lex prohibitiva postea sit lata. Secundo bene distinctio notanda, inter genus humanum plantandum ac jam plantatum. Sa-

B

pietiae

2) de J. Civ. Rom.

3) de J. Can.

4) de J. Bor.

Lineae inaequalis.

1) de J. Div.

2) de J. Rom.

3) de J. Can.

4) de J. Bor.

De Incestu inter fratres & sorores.

pietiae enim divinae placuit, in majorem ipsius admirationem ex duabus personis totum genus humanum plantare. Nec tertio obstant gentium mores perversi, qui Juris Divini praecepta neutiquam mutare possunt, hinc DEUS per Moysen ut fratres & sorores se conjungant, expressis prohibuit verbis *Lev. 18. v. 9. & c. 20. v. 17.* quia sanguine sibi proximi sunt, cum quibus concumbere nefas *cit. text. Lev. v. 6.* quod & *Jus Canonicum* vult *c. pen. X. de Consang. & Adfin.* cum quibus etiam *Jus Borussicum* consentit *P. I. Art. I. §. 8. n. 1. p. 280.* Si enim concubitus inter fratres ac sorores licitus esset, quisnam virginem, quae fratres habet, ducere vellet in matrimonium, nisi vereretur, eam a fratribus jam defloratam esse, & qualem status hic turbulentus, ut ita loqui liceat, animorum perturbationem intuitu virginum causaretur, quantumque malum Reipublicae exinde nasceretur, uniuscujusque cogitationibus derelinquo.

## §. 14.

An incestus  
inter fra-  
trum & so-  
rorum libe-  
ros commit-  
tatur.

*Secundo:* quid de Fratrum liberis tenendum, an duorum Fratrum liberi, qui Patruales, vel sororum, qui Consobrini, vel fratris ac sororis, qui Amitini §. 5. *J. de Grad. Cogn.* dicuntur, de *Jure Civili* in quarto, de *Jure Canonico* vero in secundo gradu existentes, se invicem ducere possint nec ne? *Juris Civiles* textus respondent ad hanc quaestionem affirmando §. 4. *J. de Nupr. L. 3. & 67. §. 1. ff. de R. N. L. 19. C. de Nupr. L. 2. C. de Instir. & subst.* nec *Jus Divinum* has nuptias unquam prohibuit, uti ex *Lev. 18. & 20* constat, sed potius tacendo concessit. Jacob enim *Leam & Rahelem*, avunculi *Labani* filias simul in uxores duxit *Gen. 29.* *Amram* duxit *Jochebeth* patruelem suam, ex qua *Moyses & Aaron* nati, *Exod. 2. v. 1. 2. 10. it. Exod. 6. v. 20.* *Tobias junior* *Saram* *Raguelis* filiam, suam *Consobrinam* sibi matrimonio junxit *Tob. 7.* & plura leguntur *Num. 36. v. 11. & 27. v. 1.* Equidem *Theodosius M.* matrimonium inter fratrum & sororum liberos prohibuit *L. unic. C. Theod. si nupr. ex rescript. pet.* quae lex in Codice nostro *L. 6. C. de incest. nupr.* habetur, ommissis tamen verbis illis, quae de nuptiis *Consobrinorum* tractant, sed *Theodosii* constitutio a liberis ejus *Arcadio & Honorio* abrogata, & *matrimonia Consobrinorum* permessa fuerunt *L. 19. C. de Nupr. L. 3. D. de R. N. §. 4. J. de Nupr. L. 2. C. de Instir. & Subst.* Post *Justiniani* tempora  
sub

sub Groecis Imperatoribus in Oriente Confobrinorum nuptiae interdicitae erant, uti constat ex HARMENOPHIL. *Lib. 4. prompr. Tit. 6. & Lib. 6. Tit. 4.* THEOPHIL. *paraphras. Tit. 6. §. 4.* STRUV. *S. J. C. Exerc. 29. Th. 51.* In Occidente, per Pontificum Decreta *c. 20. qu. 3. XXXV. c. 8. de Consang. & Adfin.* Confobrinorum nuptiae quoque prohibitaerant, dum *Jus Canonicum* initio omnium consanguineorum conjunctionem ductu *Lev. 18. v. 6.* vetuit, deinde prohibitionem ad septimum gradum restrinxit, *c. 1. 16. 17. 18. C. 35. Qu. 2. 3.* tandem vero quartum gradum (computatione canonica) inclusive constituit, ex lepida ratione, quia quatuor sunt humores in corpore, qui constant ex quatuor elementis *c. 8. X. de Consang. & Adfin.* BOEHMERI *Jus Eccles. Lib. 4. Tit. 14. §. 20 seqq.* harum tam magnarum variationum & mutationum *Juris Canonici* permultas exprimit rationes CONRAD. RITTERSH. *in Differ. Jur. Civ. & Pont. C. 7. & 8.* Jus nostrum *Borussicum* vero a *Jure Canonico* ex aliqua parte recedens, prohibitionem usque ad tertium gradum lineae inaequalis retraxit. *Pr. L. P. I. A. I. §. 8. n. 3. p. 280.* Jedoch soll solches allhie auf folgende Weise verstanden werden, nemlich also, daß die Ehe im dritten Grad (ungleicher Linie) verboten sey; & matrimonium inter fratrum & sororum nepotes demum permittit, uti ex schematis ejusdem explicatione clarius apparebit *Pr. L. cit. loc. p. 281.*

## §. 15.

*Tertio, quoad lineam consanguinitatis collateralalem inaequalem disquiri solet, in quantum Matrimoniorum prohibitio sese extendit?* Communiter DD. dicunt, quotiescunque ex personis conjungendis una immediate & proxime subest stipiti, altera vero remotior est, toties adest respectus Parentelae. Quoties autem iste adest, toties non permittitur matrimonium, quotocunque etiam gradu dissent personae. Ita *Jus Civile* argumentatur *L. 53. D. de R. N. HOPP. ad pr. J. de Nupt. §. 12.* cum hoc consentit *Jus Borussicum L. 2. T. 2. A. I. §. 4. 5. 6. 7. p. 279.* Quum vero *Jus Divinum* solummodo *Amitae & Materterae* (§. 12) in linea collateralis inaequali mentionem faciat; in his tantum respectum parentelae terminari vult. Nam dum Deus prohibet concumbere cum sanguine proxima *Lev. 18. v. 6.* Amita vero pa-

An ubi respectus Parentelae adest Incestus committatur. Disquiritur

1) de J. Rou. & Bor.

2) de J. Div.

Quotuplex  
Interpretatio  
in LL. Div.  
locum habet?

tris, & Matertera matris proxima est *Lev. 18. v. 12. & 13.* quae loco parentum sunt; hinc proprie in istas personas expressas, ratio prohibitionis (§. 6.) quadrat, nec ulterius extendenda. Equidem non diffitendum, in legibus divinis interpretandis, praeter *Interpretationem Declarativam* admitti & *Restrictivam* & *Extensivam*: sed si *Illa* locum habeat, debet esse evidens disparitatis ratio, & licet lex sit generalis, sensus tamen ejus & ratio est angustior & restrictior: si *Haec*, poterit quidem extensio fieri ad casum similem, sub verbis non comprehensum, modo *eadem eaque perspicuarationis identitas* maneat, alias, si & ipsa extendatur ad casum, qui habet saltem similem rationem non vero eandem, vitiosa fiet interpretatio. THOMAS. *Jurisprud. div. L. 2. c. ult. §. 89. & Lib. 3. c. 3. §. 216. L. 44. §. 6. π. de R. N.*

## §. 16.

An cum fratris vel sororis filia incestus committatur.

Ex his facile *quarto* potest: *an quis fratris vel sororis filiam juxta Jus Divinum in uxorem habere possit, nec ne?* Equidem non negandum, Patrum & Avunculum cum fratris vel sororis filia, eodem distare gradu, prouti Amitam & Materteram, cum fratris vel sororis filio: ast plane diversus hic adest respectus, nec eadem prohibitionis ratio. Si enim Amita vel Matertera fratris vel sororis filio nuberet; respectus reverentialis & honestatis ex lege divina (§. 6.) conculcatur, dum transiens in thorum ejus, qui ipsi reverentiam debet, eidem ex legibus matrimonii inferior & subiecta fit, quod ratio honestatis non permittit. Ast si Patruus vel Avunculus fratris vel sororis filiam in uxorem ducit, nulla respectuum confusio occurrit, sed uxor in eodem statu subjectionis & devotionis erga maritum manet, in quo antea fuit. BOEHMER. *Jus Eccles. L. 4. T. 14. §. 55. Jus Civile* fratris vel sororis filiam ducere expresse prohibet *L. ult. C. de Incest. nupr. idem prohibet Jus Canonicum (§. 12.) & Borussiae P. I. A. I. §. 6. n. 1. 2. p. 279.*

## §. 17.

An Lev. 18 & 20 tantum personae, aut an etiam pares gradus sunt prohibiti?

Huc coincidit quaestio an *Lev. 18. & 20. Personae ibi recensitae tantum sint prohibitae, an vero & aliae in simili gradu? Qui prohibitionem in similibus gradibus defendunt* provocant 1) ad *Lev. 18. v. 6. Nemo quisquam ad ullam propinquam carnis suae appropinquet,*  
ad

ad revelandam nuditatem ejus. Inter quas personas ergo datur propinquitas carnis, sive proxima consanguinitas, illae vi hujus legis generalis prohibentur matrimonio jungi, licet expresse legibus specialibus non sint prohibita, quia 2) juxta interpretationem extensivam (§. 15.) inter quas personas par habitudo est, inter eas etiam idem valeat Jus, eademque prohibitio, sed intra quas est eadem graduum distantia, inter eas etiam eadem habitudo, hinc eadem matrimonio jungi pariter prohiberi aestimandae, sive expresse prohibeantur sive non, nam ubi eadem legis ratio, ibi eadem juris dispositio, quin immo 3) absurdum foret, si tantum personae Lev. 18. expressae matrimonia inire prohibeantur, non aliae in simili gradu, nam ita in linea recta nuptiae inter aviam, & nepotem, item inter avum & proneptem concedendae essent, nam harum personarum nulla expressa mentio Lev. 18. conf. Joh. MUSAEI *Comment. de Consang. & Adfin. in Cap. 18. Levit.* Hinc putant sophisticam ac calumniosam sententiam eorum, qui tantum Personas, non autem Gradus per Moysen prohibitos esse affirmant. CARPZ. *Prax. Crim. P. II. qv. 73. n. 22. STRUV. S. J. C. Exerc. 29. Th. 37. lit. b.* Verum enim vero salva res est, nam 1) lex generalis Lev. 18. v. 6. restringitur ad subsequentes a v. 7. ad 11. personas recensitas, quae absque graduum computatione & sine respectu ad paritatem graduum adducuntur. DEUS enim non computat secundum Gradus, uti Jcti, utpote quae computatio Jure humano introducta, sed numerat tantum Personas. Si enim haec DEI mens non fuisset, personas prohibere tantum, cur adeo sollicite, quosdam casus ejusdem gradus bis prohibuisset: ita matrimonium cum Amita & Matertera interdicit Lev. 18. v. 12. 13. 14. eandemque prohibitionem Lev. 20. v. 19 & 20. repetit, cum tamen sint ejusdem gradus. Non habet itaque Interpretatio Extensiva hic locum, quum illa ratio accessionis ad carnem carnis, citra absurditatem ad ulteriora, quam parentum & liberorum, fratrum atque sororum matrimonia non extendi, nec ad casus non expressos aequaliter applicari possit, si paritas rationis deficit (§. 15. 16): nec 2) ubi eadem graduum distantia, statim eadem habitudo seu eadem perspicuaque rationis identitas, uti in exemplo Patruum & Avunculi ostensum (§. 16.) DEUS praeterea tres casus distincte prohibuit, ubi masculus foeminam ducit, cui re-

spectum debet. *Lev. 18. v. 12. 13. 14.* Ex inversis casibus autem ne unicum quidem, neque hic, neque *Lev. 20.* semel tetigit STRYCK. *de diss. spons. sect. 5. §. 19. & 20.* nec 3) ulla absurditas ex illo asferro fluit, quod personae tantum *Lev. 18.* sint prohibitae, modo adhibeatur Interpretatio Extensiva, in casu, ubi eadem eaque perspicua est rationis identitas (§. 15.) hinc cum sub *matre*, ex evidentissima rationis identitate & *avia* &c. intelligatur, (§. 6.) non necesse fuit, hunc & similes casus in ascendente linea exprimere; sic, dum *Levit. 18. v. 10. Neprem ex filia* matrimonio jungi prohibitum, multo magis *filiam ipsam* ducere prohibitum erit, & quum *ibidem v. 15. Nurum* ducere prohibitum sit, hinc argumento a minori ad majus *Socrum*, quoque ducere prohibitum erit. Si enim eam ducere prohibeor, quam, propter reverentiam mihi debitam, mihi subicere posse videor, multo magis eam ducere prohibeor, cui ego tanquam Matri reverentiam exhibere teneor *Lev. 20. v. 14. Dener. 27. v. 23.* Hinc concludo *Levit. 18. personas ibidem nominatim tantum expressas prohiberi*, comprehensis tamen sub prohibitis, & iis, quae ex respectu & ratione eadem, eaque evidente & perspicua sub illis continentur. Accedit, quod cum DEUS in Tribus paternae gentis nubere expresse jusserit *Numer. 36. v. 6.* sequitur, quod sit contra intentionem DEI, prohibitiones matrimoniales ultra expressam Mosis legem extendere. Multum propterea interest, an ex *paritate Graduum*, an vero ex *perspicua Rationis Identitate*, aliae, praeter in Jure divino enumeratas personas, prohibitae consendantur. Ut enim taceam, quod Graduum Numeratio ex inventione humana proveniat, nec olim, nec hodie omnibus perspicue nota, e contrario, Rationis ejusdem Identitas ex dictamine rectae rationis profluat, & cuilibet intelligenti per se pateat: certe graduum paritas latius extendi solet, quam rationis ejusdem identitas: hinc *ex illa* consequentiae saepe, praeter mentem & intentionem Legislatoris, inferuntur, *ex hac* non item BRUCKN. *Decis. Jur. matrim. C. 5. n. 27.* Et haec fuerunt Jurium praecipua discrimina circa Incestum Civilem inter Consanguineos commissum, sequuntur nunc notanda inter Adfines.

§. 18.

Quid Adfinitas?

Adfines ab ad & fines trahunt nomina sua, sicuti enim agri vicinorum Adfinitatem constituunt, ita & mas ac foemina, con-



conjunctione carnali inita, intuitu utriusque Conjugis cognatorum fiunt Adfines *arg. L. fin. ff. fin. regund. L. 4. §. 3. ff. de Grad. & Adfin.* utriusque vero Conjugis Cognati inter se revera non sunt Adfines, quamvis communi loquendi usu fratres sororesve se nuncupent, aut saluent *c. 5. X. de Consang. & Adfin. Jure Civili* definitur Adfinitas, quod sit proximitas personarum ex justis nuptiis proveniens *cit. L. 4. §. 3. 8. ff. de Grad.* Jure vero Canonico etiam ex injustis *c. pen. 8. de eo qui dux. in uxor quam per adulte. poll. arg. Genes. 2. v. 24. I Corinth. 6. v. 16. Marc. 10, v. 8.* quia uti conjuges carnali copula, ita & stuprator cum stuprata fiunt una caro. Exinde Adfinitatis fuit divisio in *Perfectam* s. legitimam, quae per ininitum contrahitur matrimonium, qualis est inter Novercam & Privignum, Socrum & Generum *L. 4. §. 4. D. de Grad. & Adfin.* & in *Imperfectam* sive illegitimam, quae extra conjugium vago inducitur concubitu *arg. L. 4. C. de Nupt.* talis est inter filium & patris amicam sive pellicem *L. 144. D. de Verb. signif. de Adfinitate Perfecta ac Imperfecta* vide plura apud HAHN. ad WESENBEK. ad *Tit. ff. de R. N. Verb. solo consensu p. m. 146.*

## §. 19.

Ostendimus (§. 11.) *Jure Civili* non dari Gradus in matrimonialibus ratione Consanguineorum, quia prohibitio recensione personarum, ductu *Levit. 18. 20. & Tit. J. D. & C. de Nupt.* facile inveniri potest, dum autem talis processus difficile in Adfinitate instrui potest, quid ergo faciendam? *Jus Civile* de semel concepta sententia nullatenus desistit, ac *L. 4. §. 5. ff. de Grad. & Adfin.* claris loquitur verbis: *Gradus Adfinitatis nulli sunt.* Ad gradus enim constituendos requiritur generatio §. 7. *J. de Grad. Cognat.* Adfinis vero ex altero non nascitur, sicuti cognatus ex altero, sed ex nuptiis oritur Adfinitas *L. 4. §. 3. 8. ff. de Grad.* Praeterea uti jam (§. 11.) dictum, *Jure Civili* graduum computationem non adhiberi aliter, quam in Successionibus, Adfinium e contrario nulla datur successio, secundum vulgatum: adfinitas nocet matrimonio, & nil proficit ad hereditatem consequendam *L. 7. C. Commun. success. Dr. P. P. 2. A. 1. §. 1. p. 255.* ex his praemissis sequitur conclusio in Adfinitate nullos dari Gradus *Jure Civili.* Non negandum quidem est, quin de adfinium gradibus in *L. ult. pr. ff. de Grad. & Adfin.* sit mentio facta, sed qui attento animo ac vultu *cit. L.* inspicit, facillime appare-

An in Adfinitate Gradus numerantur?  
1) de J. Rom.

parebit, Paulum, plane in sensu improprio ac analogico verbis uti: *Jurisconsultus ad finium gradus nosse debet*, inter rationes enim ibi allatas nullum locum obtinent Nuptiae, sed tantum ii casus, de quibus jam (§. 11.) locutus sum, hinc Paulus in *L. ult. pr. ff. de Grad.* Modestino in *L. 4. §. 5. cit. Tit.* nihil refragatur CONRAD. RIT-  
 2) de J. Can. TERSH. *Differ. J. C. & Pont. L. 1. C. 9. p. 33.* De *Jure Canonico & Gradus, & Genera Adfinitatis* dantur, ac graduum computatio sicuti in Consanguinitate ita quoque in Adfinitate instituitur sequenti Regula generali: Quoto gradu est Consanguineus uxori meae in Consanguinitate, eodem gradu is mihi est conjunctus in Adfinitate, c. 3. C. 35. qu. 5. c. 13. ead. *Caus. qu. 2 & 3.* sic uxoris meae fratris filius, est uxori meae, in tertio gradu *Jure Civili* inaequali & secundo, *Jure Canonico* in Consanguinitate, hinc eodem gradu mihi quoque est conjunctus in Adfinitate; Consanguinei autem a partibus mariti & uxoris inter se nullo vinculo obstricti sunt, licet se improprie Adfines vocent (§. 18.) *arg. c. 5. C. XXXV. qu. 5. L. 4. §. 3. ff. de Grad. & Adfin.* exinde colligitur, me fratris mei uxoris forem, & sic duos fratres duas sorores tuto ducere posse, sic & Comprivigni §. 8. *J. de Nupr. L. 34. §. 2. ff. eod.* matrimonium secum contrahere valent; filius quoque matrem, pater vero filiam habeant in uxores, non attento respectu parentelae, quia neque sanguinis neque adfinitatis vinculo obstricti sunt c. 5. X. de *Consang. Adfin.* Hopp. *comment. ad J. §. 17.* Gradus sequuntur *Genera Adfinitatis*, quorum tria *Jus Canonicum* recenset. *Primum* Adfinitatis Genus dicitur: ubi persona alterius cognationi mediante unico matrimonio conjuncta v. c. fratris mei uxor, mihi est in primo adfinitatis genere. Hic probe notandum, quod, quoties matrimonium aliud intercedit, toties hoc novum vinculum, linea curvata sit notandum. *Secundum* Genus est, quod duabus personis contrahitur mediantibus v. c. si, fratre meo mortuo, ejus vidua alii viro nupsit. *Tertium* tandem Adfinitatis Genus tribus personis mediantibus contrahitur, ita tamen, ut nulla nova cognatio intercedat, per quam expirare possit Adfinitas, e. g. si sororis uxoris meae maritus fuerit mortuus, & ea alium maritum in matrimonium ducat, tunc ultimus maritus mihi est in tertio Genere Adfinitatis. Hopp. *cit. l. §. 18.* Ill. *Acad. Direct. & Cancell. de SAHME Einleitung zur preussischen Rechts-Gesahrtheit L. 1. Tit. 5. §. 11. 12. p. 44.* *Jus Pru-*

*Pruenicum* per omnia cum *Jure Canonico* in hocce §pho convenit 3) de J. Bor.  
P. 1. Tir. 2. A. 2. §. 7. p. 284. seqq.

## §. 20.

Sed quid Adfinitatem induit ac efficit, an *Sponsalia aut Nuptiae*? *Jus Civile Romanum*, disertis mentem exprimit verbis: Nuptias, non vero Sponsalia induere Adfinitatem L. 4. §. 3. ff. de Grad. & Adfin. ubi *Modestinus* sic loquitur *Adfinitatis causa fit ex Nuptiis: Adfines per nuptias copulantur, & l. c. §. 8. ex Nuptiis Adfinitas conjungitur*, exinde Adfinitatis causa ac origo, non sponsus ac sponsa, sed maritus & uxor *D. Musaci Comment. de Consang. & Adfin. p. 31.* Sunt enim Sponsalia solummodo mentio ac repromissio futurarum nuptiarum L. 1. ff. de Spons. Nuptiae autem maris ac foeminae conjunctio L. 1. ff. de R. N. Sponsalia praecedunt nuptias, & spēs solummodo nuptiarum L. 6. ff. de Spons. ac matrimonii L. 13. §. 3. ff. ad L. Jul. de Adult. dicuntur; multo minus inducitur Adfinitas *Jure Civili* vago concubitu, per fornicationem, stuprum arg. L. 2. ff. de R. N. L. 32. §. 13. de Donat. inter Vir. & uxor. L. 30. ff. de divers. reg. Jur. L. 15. ff. de Cond. & Demonstr. L. 4. §. 8. ff. de Grad. & Adf. quia consensus non vero concubitus necesse est matrimonium, alias etenim absonum sequeretur, quod meretrix, quae corpore quaestum facit, innumeros provocare possit maritos. Interim, quamvis *Jure Romano* generi & nurus appellatione sponsus quoque & sponsa contineatur L. 6. & 8. D. de Grad. & Adfin. attamen tale matrimonium non simpliciter prohibitum videtur, inprimis, si res adhuc fuerit integra §. 9. *J. de Nupr. Jus Canonicum* vero hoc in passu *Juri Civili romano* plane contrariatur c. 3 & 4. X. de spons. & quum inter inchoatum & consummatum matrimonium coram DEO nullam esse differentiam statuatur, sponsalia etiam invalida sive injusta, per stuprum aut fornicationem, immo & Incestum condere Adfinitatem asserit c. 3 & 4. de Spons. c. 1. eod. tit. in 6to c. 6. & 10. X. de eo qui cogn. uxor. suae vel spons. quod per fornicationem similiter fiant concumbentes una caro, testante Paulo I *Corinth.* 6. v. 16. ibi, qui adhaeret meretrici, unum efficitur corpus; erunt enim duo in una carne, conf. RITTERSH. Differ. F. C. & Pont. C. 15. p. 36. *Jus Bonussicum Juris Canonici* fovet sententiam inquiring, 3) de J. Bor. quod inter inchoatum & consummatum matrimonium nulla sit co-

C

ram

An Sponsalia aut Nuptiae efficiunt Adfinitatem?

1) de J. Rom.

2) de J. Cau.

3) de J. Bor.

ram Deo differentia P. I. A. 3. §. 2. p. 285. it. §. I. n. I. p. 281.  
ac §. 2. n. I. p. 282.

## §. 21.

In quantum  
Incestus in-  
ter Adfines  
committatur.  
1) de J. Rom.

Incestus *Juris Civilis* itaque inter *Adfines* committi dicitur, eodem gradu, quo in consanguinitate. Nam licet proprie neque gradus, neque lineae in Adfinitate dentur (§. 19) DD. tamen per analogiam quandam in Adfinitate propter intercedentem carnis unitatem etiam gradus & lineas numerant, hinc regula formatur quorocunque Gradu quis uni conjugum junctus est consanguinitate, toto gradu alteri junctus est Adfinitate c. 3. CXXXV. qu. 5. hinc, quoto gradu prohibitum est matrimonium inter Consanguineos eodem gradu etiam prohibitum est inter Adfines, in primo genere Adfinitatis. Primum genus Adfinitatis in linea recta plane *Jure Civili* est vetitum, & 2dum, quoties respectus obvenit parentelae. Personas in primo genere conjungi prohibitas, recenset Modestinus L. 4. §. 4. ff. de Grad. & Adfin. L. 14. §. 4. ff. de R. N. L. 39. ff. eod. tit. L. 17. C. de Nupt. §. 6. & 7. J. eod. & similiter in secundo genere refert PAPINIANUS L. 15. ff. de R. N. uxorem quondam privigni, conjungi matrimonio virrici non oportet, nec in matrimonium convenire novercam ejus, qui privignae maritus fuit, quo etiam spectat 2) de J. Can. L. 4. §. 7. ff. de Grad. & Adfin. *Jure Canonico* sicuti in Consanguinitate ita & hic variae leguntur mutationes. Antiquis enim temporibus Graduum prohibitio in primo Adfinitatis genere se extendebat usque ad septimum gradum c. 1. 7. 13. 14. 15. 16. & 19. C. 35. Qu. 2. & 3. in secundo genere usque ad quartum gradum, in tertio vero usque ad secundum Adfinitatis Gradum SCHNEI-DEW. ad Tit. J. de Nupt. rubr. de Arb. Adfin. n. 11. Hodie tantum primi generis quartus gradus inclusive exemplo consanguinitatis, impedimento est in matrimonio c. pen. 8. X. de Consang. & Adfin. CONRAD. RITTERSH. Differ. J. C. & Can. Cap. XII. p. 35. *Juris* vero *Borussici* leges cum legibus *Juris Civilis* propemodum sunt conformes, ac consentaneae, prohibet etenim matrimonium primi Adfinitatis generis in tertio gradu, & si respectus adfit parentelae, Pr. 8. P. I. A. 2. §. 1. 2. p. 281. tunc etiam in secundo genere, ille conjugio obstat l. c. §. 3. p. 282. & §. 7. p. 284.

3) de J. Bor.

## §. 22.

## §. 22.

Cum vero juxta Jus divinum *Lev. 18. v. 14. & 16.* in linea collateralis adfinitatis, matrimonium cum patru vidua & fratris vidua solum prohibeatur, quaeritur: *An cum Avunculi Vidua matrimonium pro incestu habeatur?* Resp. Negando. Nam, cum in conjunctionibus juxta interpretationem extensivam (§. 17.) prohibendis, eadem eaque perspicua adesse debeat rationis identitas; in ducenda avunculi vidua, talis non invenitur, sed plane dispar. Respectus enim ille, qui in linea collateralis *Lev. 18, v. 12. 13. 15.* inculcatur, non attenditur in foeminis adfinibus, quae extra familiam nostram existunt. Patru uxor per conjugium, ex aliena, eandem cum patre meo familiam; avunculi vero uxor, per conjugium familiam diversam cum patris mei familia intravit, istiusque familiae nomen sortita est. DEUS itaque *Lev. 20. v. 20.* a fratris filio, patru viduae, quae idem cum patre ejus familiae nomen semel assumpserat, honorem maternum exhiberi, nec permittere voluit, ut inter eas personas, matrimonium intercederet, sed sororis filio conjugium cum vidua avunculi non interdixit, quia illi, utpote extra familiam constitutae, honorem ejusmodi maternum exhibere non tenebatur. Hanc rationem interim in Adfinitate procedere, non in Consanguinitate, monstrat exemplum matererae, quam sororis filio, etiamsi ille non idem cum ipsa familiae nomen gerat, ducere prohibitum est. (§. 16.) BRUCKN. *c. l. c. 6. n. 17.* Jus Civile nec Avunculi nec Patru viduam ducere prohibet RITTERSH. *ad §. adfini. quoque F. de Nupt.* Jus vero Canonicum prohibet, per deducta (§. 21.) Jus Borussiae nominatenus id vetat *Pr. L. P. 1. T. 2. A. 2. §. 5. p. 283.*

4) de J. Div.

An cum Avunculi vidua incestus committitur?

## §. 23.

Similiter quaeritur: *An de Jure divino incestae dici possint nuptiae, cum defunctae uxoris sorore?* Equidem tale matrimonium vel *Lev. 18. v. 18. expresse* aut ad minimum *v. 16. tacite* prohibitum asserunt: verum enim vero, *v. 18.* prohibitio hujus connubii sub certo modo fit, ne quis scil. ducat sororem uxoris, ea invita, & adhuc vivente, jam vero propositio modalis, extra modum adjectum, propositionem de sui natura contrariam infert, hinc tantum abest, ut tale matrimonium in lege Mosaica simpliciter, ut potius nullibi *expresse* prohibitum inveniat, dum neque poena in hoc ma-

An cum defunctae uxoris sorore?

trimonium c. 20. statuta legitur. Quod ad v. 16. attinet, ubi fratris uxor duci prohibetur: Si vero frater fratris uxorem ducere nequit, neque soror sororis marito nubere poterit, ob paritatem Gradus & Rationis, ne ad carnem carnis accedat. At, quemadmodum a paritate Graduum (§. 17.) argumentatio non semper iuste procedit, dum diversissimae rationes adesse soleant; ita si frater fratris viduam duceret, duo fratres in unius mulieris uterum semen suum effunderent, quod coram DEO detestabile, qui non vult, si liberi ex priori matrimonio adsunt, ut duo fratres ex una foemina liberos procreent. *Lev. c. 20. v. 21.* secus si frater sine liberis mortuus fuerit. *Deuter. c. 25. v. 5.* Sed plane alia ratio est, si quis defunctae uxoris sororem ducit, tum enim mas in duarum diversarum foeminarum uteros semen effundit, quod DEUS nullibi execratur, sed tantum propter rationes domesticas & defensiones inevitabiles, inter duas sorores unius thori socias, duas sorores simul ducere vetuit. Nec ratio accessionis ad carnem carnis, ultra lineam rectam & transversam primi gradus extendi debeat (§. 17.) *Conf. D. JAC. GABBR. WOLFF. Rechtl. Gutachten über die Zulässigkeit der Ehe mit der verstorbenen Frauen Schwester. Jure Civili* nec praedefunctae uxoris sororem, nec fratris viduam in matrimonium sumere licet per *L. 5. C. de Incest. nupt. Jure Canonico* nullum est dubium, quin hoc matrimonium prohibitum sit, cum Interdictum ad quartum gradum se extendat *c. pen. X. de Confang. & Adfin.* uxoris enim praedefunctae soror, est cum illius marito, viduo, in primo gradu, quae prohibitio etiam *Jure Prutenico* locum invenit *P. 1. §. 5. n. 1. p. 284.*

§. 24.

An cum defunctae uxoris Sororis filia?

Ex adductis facile dijudicari potest: *an cum defunctae uxoris sororis filia Nuptiae pro Incestis habendae sint?* Cum enim has nuptias Jure Divino *Lev. 18. & 20.* prohibitas non deprehendimus; praeter Legem vero Mosaicam de illicitis conjunctionibus, nulla Lex divina prohibitiva datur, & in his, jam dictum matrimonium silentio praeteritum est, ubi Lex autem tacet, ibi ceteris paribus, permittit, hinc quilibet defunctae uxoris sororis filiam sibi matrimonio jungere potest. Nec obstat argumentatio: Quicumque sunt in pari gradu cum personis ibi recensitis, illi etiam pariter a nuptiis invicem censentur arceri; atque sororis filia in pari gradu est

est cum Patru vidua *Lev. 18. v. 14.* ergo uxoris sororis filiam ducere non licet: *Horr. c. l. §. 20.* dum Major propositio non est universalis, nec paritas gradus aliquid efficit in Confanguinitatis collateralis linea, multo minus aliquid operabitur in Adfinitate (§. 17.) hinc & aequali ratione vidua defuncti mariti sororis filio nubere potest *RIGHT. Dec. 11. n. 7. 9. Jure Civili* dum in Adfinitatis linea recta primi generis prohibetur matrimonium, aut in secundo, si parentum ac liberorum loco sunt, personae jungendae (§. 21.) reliqui ex linea collateralis Adfines, excepta uxoris sorore & fratris vidua (§. 23) nuptias inter se contrahere non prohibentur, in quorum numerum tam uxoris sororis filia, quam simili gradu Patru vidua, ac avunculi vidua sunt referendae, quod & testatur *RITTERSH. ad Tit. J. de Nupt. §. Adfinitatis* & quod idem est, nuptiae cum Amitae vel Materterae viduo concessae sunt, quia tale matrimonium in *J. Civ.* nullibi expresse prohibitum reperitur *RIGHT. dec. 11. n. 7. LAUTERB. Colleg. ad ff. L. 23. T. 2. §. 65. Jus Canonicum* vero prohibet has nuptias (§. praec.) & *Jus Borussiae* *P. 1. A. 2. §. 5. p. 284. n. 2.*

## §. 25.

*Utrum Virricus privigni sui relictam viduam citra crimen Incestus ducere queat? De Jure Civili* prohibitum est hoc matrimonium *L. 15. ff. de R. N. (§. 21.)* quia parentum ac liberorum loco habentur. *Jure Canonico*, cum Innocentius III. prohibitionem nuptiarum, quae antea secundo & tertio Adfinitatis genere dependebat, e medio sustulit *c. pen. X. de Consang. & Adfin.* Privigni vero vidua in secundo Adfinitatis genere est constituta, hinc privigni viduam duci posse de *Jure Canonico* statuo. Pari ratione *Privignus virrici sui viduam* ducere poterit, quia *Jure divino* tales nuptiae non prohibita *CARPZ. J. Conf. L. 2. Def. 119. Jus Borussiae* prius interdicit *P. 1 Tit. 2. §. 3. p. 282.* Et cum secundum & tertium genus Adfinitatis in linea collateralis matrimonium nec *Jure Divino* nec *Canonico* impediatur; hinc sine Incestus crimine aliquis uxoris suae praedefunctae, fratris viduam ducere poterit, quamvis enim ex utroque latere contracta videatur Adfinitas, hinc prius *Jure Canonico* tales nuptiae interdictae *c. 12. XXXV. qu. 2 & 3.* quam sententiam amplectitur *CARPZ. c. l. Def. 102.* attamen *J. Canon.* hoc postea mutatum *c. pen. X. de Consang. & Adfin.* suamque

An cum Privigni vidua?

An cum Virrici vidua?

An cum uxoris fratris vidua?

que in hoc casu mutavit sententiam CARPZ. *P. Crim. P. 2. qu. 74. n. 54.* quia ratio prohibitionis cessat.

§. 26.

Inquiritur in  
causas prohi-  
bitionum  
matrimonia-  
lium in LL.  
humanis.

Si in veras hactenus deducatur prohibitionum in Juribus humanis causas inquirere velimus, binae erunt: aliae *internae*, aliae *externae*. *Internae* quaeruntur in praeceptis *honesti & decori*, quibus ejusmodi coitiones repugnare creduntur, cum tamen revera iis non repugnent, hinc dispensationes quoque Principum & Pontificum circa talia connubia conspiciamus. *Externae* deducuntur 1) *ex communi rorius Reipub. salute*, quippe si, praeter *Lev. 18. & 20.* prohibitas personas latissima inter reliquos consanguineos nubendi daretur permissio, familiae nexu consanguinitatis junctae, solum inter se nuptias contraherent, nec tam facile daretur extraneo in eadem ingrediendi occasio. Jam vero interest Reipublicae, ne divitiae in una familia maneant, sed per plures distribuantur, nec consultum est, ut Reipublica ex una tantum familia consistat, sed, ut per plures amplificetur, quin immo securitati Principis melius prospicitur, si diversae familiae in diversas nubendo transeunt, quum inter se divisus civibus facilius imperari, nec ab iis tam cito contra communem salutem metui possit machinatio. Prohibitione itaque opus erat, intra quos gradus consanguinei & adfines a nuptiis arceantur, quo omnes in una Rep. cives, amplissimam legitime ineundi matrimonia nanciscantur occasionem 2) *ex utilitate aerarii publici* quo enim arctius contra J. div. conjugia inter consanguineos interdiciuntur, eo ditiora publico thesauro adferunt foenora, per impetrata decreta dispensatoria, quum non desint familiae, quae collectos thesauros suos, in alienas familias, per elocationes filiarum transferri invideant, hinc satius ducunt, aliquid tantum ad publicum offerre, quam cum aliis extra familiam divitias suas communicare 3) *ex superstitione erga Jus Pontificium reverentia*. Cum enim Papa non contentus, ut solummodo legum divinarum custos audiat, sed praetendit Vicariam in terris DEI potestatem habere; hinc nimis arroganter jam a saeculis sibi vindicavit legislatoriam, quin correctoriam Juris Divini facultatem. Tantas ergo in Jure Canonico sanxit matrimoniorum coarctationes, ut ex simplicitate laicorum, magna pro dispensationibus connubialibus conquirat offertoria. De ea re loquitur diserte MARC. ANT. de



de DOMINIS de Rep. Eccl. L. 5. C. II. n. 78. Non alia de causa ro-  
mani Pontifices usque ad quartum gradum prohibitiones has extenderunt,  
nisi ut frequentiores essent dispensationes, ex quibus immensa pecunia in  
eam Curiam consuit; & assignata sunt in Concellaria pro singulis remo-  
rioribus gradibus pretia: nam propinquiores compositiones facere debent  
sane ingentes, ubi praesertim conjuges vel divites sunt, vel Magnates vel  
Principes. Et hoc procul dubio facit, ut leges Ecclesiasticae talium nu-  
ptiarum prohibitoriae sint prorsus injustae ac nullae: non enim honestatem  
& decentiam respiciunt, aut in re ipsa aequitatem, sed solum proprium  
lucrum. Nemo enim, cui tales dispensationes negentur, & quotquot eas  
petunt, tot eas accipiunt, solo pretio exhibito, immo ne a Papa quidam  
postulantur, sed prostant in publico officio cuicumque accedenti venales.  
Protestantes respuunt quidem Papae Rom. auctoritatem, nescio  
tamen quo Zelo hactenus ejusdem, circa connubiorum jura, con-  
tra apertam sacri Codicis litteram trivere vestigia.

§. 27.

Quam sapienter ergo Augustissimus Rex Noster, levitatem  
illarum interdictionum matrimonialium judicavit, ex sequenti E-  
dicto constat: Da Seine Königl. Majestät in Preussen un-  
ser allergnädigster Herr der Beförderung der Ehen in  
Dero Landen, und der Peuplirung derselben nachtheilig  
zu seyn erachtet, daß, für die Königl. Dispensationes in Ehe-  
Sachen Geld gegeben werde; so haben Sie aus Landes-  
väterlicher Vorsorge in Gnaden resolviret, dieses gänzlich  
zu abrogiren, und jederman frey zu geben, sich in denen  
Casibus, wo die Ehe nicht klar in Gottes Wort verbo-  
then, sonder Dispensation und Kosten zu verheyrathen.  
Charlottenburg, den 3. Junii 1740.

Adducitur  
Reg. Bor.  
Mandatum.

(L. S.)

Friedrich.

Ordre an das Departement  
der geistlichen Sachen.

Vide Ill. Direct. & Cancell. de SAHME Einleitung zur Preussisch. Ver-  
f. in append. Num. II. p. 802 & 803.

28.

## §. 28.

Ratio hujus  
Edicti.

Serenissimus hoc decreto edicit 1) *ad locupletandas regiones magis proficuum esse*, ut matrimonia cum iis personis libere contrahantur, quae in sacro Codice expressis verbis non sunt interdictae. Non metuendum enim est aliquid in bene ordinata republ. ex ejusmodi nuptiis, licet per hanc permissionem familiae Consanguineae vel Adfines tantum inter se coirent, nec extra stirpis suae progeniem evolarent. Conservatio singularum familiarum in Regno & legibus armato & armis decorato, magis summo Imperanti proficua, quam damnosa est. Et cum saepe extra consanguinitatem non tam lucrosa inveniantur connubia, nil jam obstat, ut ex domo avita sumatur vitae Socia, quae nonnunquam fertilissima mater existit, numerososque Optimo Principi cives procreat. 2) Respuit Princeps Sapientissimus istas sibi *subditorum oblationes*, quae pro dispensationibus olim exhibebantur, quarum minima pars ad ejus pervenit aerarium. 3) *Solvit conscientiam hominum erroneam*, ac Jctos non ad Pontificum canones, sed ad textum Divini Codicis, tanquam clarum prohibitionum matrimonialium fontem, jure optimo maximo relegat.

## §. 29.

Pœnae ratione Incestus  
statutae.

Quod tandem ad poenas attinet, quibus Incestum Civilem committentes affligebantur, erant *Jure Romano in exilium ejectio, Cinguli* (si quo potiebantur) *spoliatio*, quando autem personae vilium conditionum erant, *verberatio* sive *flagitatio* intuitu utriusque sexus peccantium *auth. incest. nupr. C. de Incest. & inut. Nupr.* Hodie Incestus in linea collateralis commissus, punitur flagitatione, perpetua relegatione, vel carcere: Inter Adfines primi generis vero obtinet similis poena, si personae instar parentum & liberorum loco sunt, alias ratione 2di generis temporalis relegatio, poena carceris dicitatur *CARPZ. prax. Crim. qu. 72. 73. 74.* sin vero Incestus cum crimine adulterii conjunctus esset, tunc poena gladii obtinet *D. CONRAD. PHILIP. HOFFMAN. Comment. Jur. de Notab. Delict. matrim. temp. C. 3. §. 6. p60.* quia delictum majus absorbet minus *BRUNNEM J. Eccles. L. 2- C. 16. §. 24.* Intercessio conjugis innocentis quidem peccantem a poena capitali, neutiquam autem corporali liberat *D. HOFMANNI cit. l.* Quando tandem Incestum delinquens justam collegare potest ignorantiam, poenam ordinariam non vero arbi-

arbitrariam tollere potest CARPZ. c. l. qu. 73. n. 95. & qu. 74. n. 97. STRUV. Exerc. 49. Th. 39. Quales poenae etiam Jure Prutenico obtinent P. 3. A. 5. §. 4. 5. p. 151. Emanato autem Sereniss. Regis Edicto (§. 27.) quo cuilibet licet matrimonium inire, cum qua vitae statum transigere placet, exceptis Lev. 18 & 20. prohibitis casibus, hinc poenae Jure Prutenico l. c. praescriptae juxta illud sunt restringendae.

## §. 30.

Jus Civile tam rigorose ac severe percussit poenis Incestum committentes, ut non solum eos afflixerit, sed etiam contra eorum progenitos liberos saevire non desierit; ut taceam, quod eorum conjunctio nec matrimonium, nec nuptiae dicerentur, nec contrahentes Vir ac Uxor §. 12. J. de Nupt. neque illis Dos aut Donatio propter nuptias constitueretur L. 52. ff. de R. N. L. 4. C. de Incest. Nupt. ubi enim nullum matrimonium, ibi nec Dos concipi potest L. 3. ff. de Jur. Dor. sed Liberi ex tali prohibito coitu nati extra patriam erant potestatem, nec patri succedebant, appellabanturque Spurii, quasi vulgo concepti L. 23. ff. de Stat. homin. illis vero ex damnato coitu natis, ex communi opinione, ne quidem offerebantur alimenta aurb. ex Complexu C. de Incest. Nupt. Nov. 12. c. 1. it. Nov. 89. c. 15. Has constitutiones aegre ferentes Canonici, liberis, peccatorum parentum insontibus, alimenta denegare nequiverunt, nulla facta distinctione, sive ex inutili, sive nefando coitu nati. c. 5. X. de eo qui dux. uxor. qu. poll. adult. Delicta enim Patris aut Avi, non nocere debent filio aut nepoti arg. L. 17. ff. de Jur. Patron. & L. 22. C. de Poen. Jus Borussiae etiam liberis, sive ex prohibita, sive damnata conjunctione nati sint, alimenta a parentibus praebere jubet, quamvis eos a paterna haereditate sicuti materna, plane excludat P. 11. A. 1. §. 20. p. 259. alimenta vero tam ab extraneo, quam a parentibus hisce incestuosus liberis legari possunt Wr. §. P. 11. T. 8. A. 1. §. 3. p. 241. Et sufficiant haec, de Incestu Juris Civilis ratione Consanguinitatis & Adfinitatis dixisse, tandem ordine tangam incestum Juris Civilis ob rationem Civilem ac Honestam prohibitum.

## §. 31.

Incestum Juris Civilis ob rationem aliquam civilem sive honestam prohibitum committere dicuntur: qui matrimonium ineunt,

D

quod

Effectus  
poenarum  
incestus in  
liberos ex-  
tenditur.

Incestus ob  
rationem  
aliquam ci-  
vilem sive  
honestam  
prohibitus.

1) Ratione  
adoptionis.

quod mere legibus humanis, propter certas causas prohibitum est arg. §. 9. *J. de Nupt. junct. L. 42. ff. de R. N.* Hujus generis Incestus existit Jur. Romano I) *Si pater adoptans filiam adoptivam, neprem, aut filii adoptati uxorem, vel contra in matrimonium sibi adjungit, quamvis emancipatio intervenierit, §. 1. J. de Nupt. L. 14. pr. §. 1. ff. de R. N. L. 17. ff. eod. non obstantibus L. 55. §. 1. ff. eod. tit. & L. 13. ff. de Adopr. quia in nuptiis contrahendis non solum Jus Civile sed & naturalis pudor ac honestas observanda L. 14. §. 2. D. de R. N. L. 42. ff. eod. HARPR. ad §. 1. J. de Nupt. n. 11. seqq. pudori autem esset contrarium, ut quae antea fuit mater, nurus, aut filia, postea uxor fieret CONR. RITTERSH. ad §. 1. J. de Nupt. In linea vero collateralis prohibitio tam late se non extendit, accedente enim emancipatione, expirat quæ sita fraternitas, ac fratres & sorores tunc secure nuptias contrahere possunt L. 17. ff. de R. N. L. 9. §. 4. ff. de Lib. & Posth. §. 2. J. de Nupt. Cum hoc Incestu Juris Civilis convenit certo respectu Jur. Canonici II) Incestus ex *Cognitione spirituali* (§. 8.) cujus tres leguntur species *tot. Tit. X. de Cogn. spir. & Caus. 30. Qu. 3. & 4. per tot. Comaternitas* quae inter fuscipientem ex baptismo, & parentes suscepti sive baptizati oritur, quem susceptum RITTERSH. in *Differ. J. C. & Pont. L. 1. C. 18. in fin. quasi adoptivum* vocat. *Paternitas* est inter baptizantem & baptizatum, nec non inter fuscipientem ex sacro baptismo sive Patrinum & susceptum. Tandem sequitur *Fraternitas*, quae inter liberos fuscipientis ex baptismo, sive Patrini, & susceptum locum obtinet; dictae hae cognitiones olim cunctae obstabant nuptiis *cit. textibus*. Successu temporis autem sunt restrictae, ita, ut hodie per *Concil. Trident. in Decret. de Reform. marrim. C. 2. Sess. 24.* apud Catholicos nuptiae inter Patrinum & Baptizatum, hujusque Parentes solummodo sint prohibitae. Dantur quidem adhuc aliae cognitionum species v. g. per Confessionem auricularem, ita etiam inter Cathechizantem & Cathechumenum, brevitatis autem amore, has praetereo, cum nullum usum apud Protestantas obtinent TREUT. *Disp. Vol. 2. Disput. 6. Th. 3. in fin.* RITTERSH. *Differ. J. Civ. & Pont. L. 1. C. 15. 18. 19.* quibus convenit BOEHMER in *Inst. J. Can. L. 4. T. II. & 12. §. 3. in fin.* inquit: *Nauseant haec pia signimenta Protestantes.* Jure Prutenico de Adoptione, tanquam modo quaerendi liberos subsidiario, ut & de J. Canon. cognitionibus*

fictis

fictis nihil definitum, exinde. *Ill. de SAHME* in der Einleitung zur preußisch. Rechtsregelbarkeit L. 1. T. 4. §. 3. p. 40. eas ad cognationes non pertinere asserit.

## §. 32.

Aequali modo si III) *Vir amplissimus s. dignitate ornatus Praeses Provinciae, vel ejus liberi, cum humili, ac ex infima plebe nata foemina v. g. ancilla ejusque filia, scenica &c. L. 1. C. de natur. liber. L. 49. D. de R. N. immo ac Senator ejusve liberi, cum foemina ex dicto infimo ordine nata, sese conjungerent L. 16. L. 23. 32. 42. 44. §. 1. L. 58. ff. de R. N. it. L. 7. C. de Incest. nupr. ne dignitas hac conjunctione vili contaminaretur L. 28. C. de nupr. & quamvis Praeses Provinciae exinde ortam, aut ibi domicilium habentem foeminam uxorem ducere nequiverit, attamen non prohibebatur cum ea sponsalia contrahere L. 38. pr. & L. 57. D. de R. N. tot. Tit. C. si quae praedir. Potest. (deposito vero sponsi officio, foeminae, nuptias recusanti, redditis arrhis, quoque poenitere licebat) cit. Leg. rationem edit Papinianus, quia *Potentatus has nuptias prohibet L. 63. D. de R. N.* Successu vero temporis Imperator Justinianus Dignitarii aut Senatoris nuptias cum liberta aut abjecta simili foemina permisit, dummodo Instrumenta dotalia conficerentur. *Ausb. sed novo C. de Natur. Lib. & matr. Jure Canonico* horum conjunctionem nullatenus prohibitam esse, testatur RITTERSH. *Differ. J. C. & Pont. L. 1. C. 21. Jure Borussiae* hocce conjugium nullis quidem Legibus est cautum, nihilominus tamen Augustiss. Regis Frider. Wilhelmi divae felicisve memoriae adest Edictum, ne Nobilis ultra ordinem, humilis Civis aut rustici filiam, aut viduam, multo minus foeminam inhoneste viventem, sub poena amittendae Nobilitatis, Insigniorum, Investiturae, ac Expectationis, immo feudi ipsius amissionis, quod tunc proximis successoribus defertur, in uxorem ducat conf. *Edict wider die allzu ungleiche, und zum Theil schändliche Heyrathen derer von Adel in den Königl. Ländern den 8. May, 1739.**

## §. 33.

IV) Quoque inter *Peregrinos ac Servos* inutiles contrahantur nuptiae de Jure Romano, quia Jure Civitatis non gaudebant, pr. *J. de Nupr.* ac patriae potestatis, aliisve proprie Juris Civilis effectibus orbatu erant pr. *J. de serv. cogn. Hopp. Comment. ad pr. J. de Nupr. & ad §. 10. cit. tit. Juris naturae* autem effectibus, ut

D 2

3) Rat. dignitatis.

4) Rat. peregrinorum &amp; servorum.

ut homines, omni Jure fruebantur Servi L. 32. ff. de R. N. ita ut servilis cognatio, tam durante servitute, quam ea expirante per manumissionem, impedimento fuerit conjunctionibus servorum §. 10. J. de Nupt. L. 14. §. 2. 3. D. de R. N. Interim eorum conjunctionio J. Civ. non matrimonium, sed contubernium vocabatur L. 35. π. de Aedil. Edict. L. 3. C. de Incest. Nupt. ac tales personae coeuntes, non conjuges sed contubernales audiebant L. 41. §. 2. D. de Legat. 3. Jure Canonico & Peregrini, & servi rite nuptias ineunt, modo hi consensum Dominorum habeant, non obstante c. 1. X. de Conjug. serv. ac non ignoranter quis servam pro libera, aut haec potius inscienter servum ducat BOEHM. Inst. J. Can. L. 4. T. 8. 9. 10. §. 2. p. 586. tunc error justus vitiat matrimonium c. 4. X. de Conjug. Serv. Jure Prutenico omnes cujuscunque conditionis sint sive liberi, sive servi, sive peregrini, sive cives, matrimonia copulare se possunt, talis enim dura servorum conditio uti apud Romanos fuit, hodie in desuetudinem abiit, loco enim eorum agnoscimus homines proprios, qui quoad statum certo respectu pro liberis habendi, modo glebae sint adscripti, & matrimonia hodie absque ullo redemptionis pretio contrahere possunt, conf. Patent daß die Loskauf-Gelder der Edlmer, König. und Adelsichen Untertanen, wenn selbige einander heyrathen wollen, gänzlich aufgehoben werden sollen, den 6. Octobr. 1724. Ceterum & nunc obtinet, ut ad hominum propriorum conjunctionem dominorum consensus requiratur vid. III. de SAHME Einleitung zur preussisch. Rechtsgel. L. 1. Tit. 2. §. 22. & servilis conditionis notitia Dr. P. I. A. 9. §. 1. p. 294.

§. 34.

5) Rat. Tut.  
& Curat.

Jure Romano V.) nuptiae inter Tutorem vel Curatorem ac eorum liberos & Pupillam vel Curandam s. Adultam L. 59. 62. 63. & L. 67. D. de R. N. L. 15. ff. de Spons. & tor. Tit. C. de Inverd. mar. inter pup. & tut. inutiles erant, & in poenam infamiae incidebant L. 66. π. de R. N. L. 4. C. de Excus. Tut. vel Cur. Causam prohibitionis exhibent CALLISTRATUS L. 64. §. 1. P. de R. N. ne Pupillae in re familiari circumscribantur, ab his, qui rationes eis gestae tutelae reddere compelluntur & TRYPHONIUS L. 67. §. 3. P. h. t. ne rationes tutelae reddendae cohibeantur. Redditis autem jam rationibus, a Tutore vel Curatore, ac restitutionis tempore elapso, quod est quadriennium, computando a tempore adeptae majorennitatis  
Jur.

Jur. Civ. 25. anno *L. fin. C. de temp. in Integ. restit. L. 6. C. de interd. matr. inter Pupil. & Tutor. pr. J. de Curat. vel adeptae veniae aetatis L. 5. C. de Minor. 25. ann. cessabat prohibitio L. 66. D. de R. N. CARPZ. P. 4. C. 20. Def. 17. sicuti etiam matrimonium valebat, si Pupilla Tutori a Patre in testamento constituta L. 36. ff. de R. N. & L. 66. ff. h. t. Jure Canonico nullus hujus prohibitionis invenitur locus, conf. tot. Tit. X. de Despons. impub. RITTERSH. Differ. J. C. & Pont. L. 1. C. 21. Jus statutarium nostrum nihil de hoc matrimonio specialiter statuit, cum nostris temporibus, rationes Leg. prohib. L. 64. §. 1. & L. 67. §. 3. P. de R. N. cessant, quia Jure Prutenico Tutores & Curatores quotannis rationes gestae tutelae sub poena 50. Thaler. reddere compelluntur Pr. L. P. 1. §. 1. 2. p. 317. vid. Königl. Preussische Pupillen Constit. de Ao. 1725. quod e contrario Jure romano tempore finitae tutelae demum fiebat L. 4. pr. ff. de Tutel. rat. distrah. ac L. 11. C. arbr. Tutel.*

## §. 35.

Ob Adfinitatem imperfectam, at rationem honestam Incestus dicitur VI) si filius sponsam Patris duxerit L. 12. §. 1. 2. de R. N. §. 9. J. de Nupt. arg. L. 42. ff. de R. N. quoniam inter inchoatum ac consummatum matrimonium coram DEO non est magna differentia (§. 20.) VII) Species Incestus Juris Civilis est matrimonium inter Filium ac concubinam patris, aut vice versa L. 4. C. de Nupt. Concubinatus enim antiquis romanorum temporibus maxime frequens ac permixtus erat, postea vero per Constit. Leon. 91. abrogatus, apud Canonicos etiam quidem prohibitus est, sed lues haec non facile eradicari potest, uti dicit BOEHMER. Inst. J. Canon. L. 3. Tit. 2. §. 5. p. 326. Jure Prutenico concubinatus sub poena carceris, ergastuli, multae, & relegationis prohibitus, si a Concubinato non desistere velint Pr. L. P. III. A. 3. §. 8. p. 148. hinc tale matrimonium non facile existere potest. VIII) Si quis eam in uxorem ducat, quam uxor post divortium ex alio procreavit §. 9. J. de Nupt. & L. 12. §. 3. ff. de R. N. arg. L. 14. §. 2. & L. 42. ff. eod. quia in nuptiis non solum id quod licet, sed quod honestum considerandum est. Haec conjunctio quoque temporibus nostris non tam frequenter occurrere potest, cum divortia hodie, non ut apud Romanos ob leves causas, uti Juris Civilis textus loquuntur Nov. 22. v. 15.

6) Rat. Sponsae Patris.

7) Rat. concubinarum patris vel filii.

8) Ratione uxoris divortientis.

*Nov. 117. c. 8. & 9. sed non aliter, quam propter adulterium, & malitiosam desertionem regulariter concedantur, & non facile conjuginocenti transitus ad alia vota permittatur Pr. L. P. I. S. 1. f. 288. & Arr. 4. §. f. 290.*

## §. 36.

9) Rat. Adulterantium.

Porro IX) matrimonium *inter adulterum ac adulteram Jure romano* adeo inuisum erat, ut maritus adulterans capite plecteretur, uxor vero adultera suffigata, in monasterium ad dies vitae immitteretur *Nov. 134. c. 12.* & si adulter moriens adulteram heredem in testamento scripserit, aut ei legatum reliquerit, hoc non adultera acquirebat, sed Fisco adjudicabatur per *L. 13. D. de his qu. ut indign. aufer. L. 27. C. ad L. Jul. de Adult. Jus Canonicum* lenioris ac mitioris est mentis, matrimonium inter adulterum ac moechatam concedens, exceptis binis hisce casibus: 1) si adultera in mortem innocentis machinata est, matrimonii cum adultero ineundi causa *c. 1. 3. 6. X. de eo qu. duxit in matrim. qu. adult. poll. c. 1. X. de convers. infid.* aut 2) si adulter, vivo marito, adulterae conjugium jurato promiserit *c. 6. X. c. r. c. 4. C. 31. qu. 1.* poena autem poenitentiae quinquennalis & communionis abstinentia non sunt orbati D. HORMANNI *Comment. de Norab. Delict. matrim. temp. C. 1. §. 9. p. 11. Jus Prutenicum* sequitur Jus Canonicum, praeter poenitentiam quinquennalem, quae ibi cessat, interim, certis casibus, has nuptias absque ullis solennitatibus celebrandas esse jubet *P. I. A. I. p. 286.*

## §. 37.

10) Rat. raptus.

Tandem X) in numerum inutilium ac prohibitarum nuptiarum reponit *Jus Civile, si raptor raptam ducere intendit*, sive desponsata sit, sive non, sive marito jam conjuncta sive non, nunquam enim hocce conjugium concedebatur *L. unic. C. de Rapt. virg. f. vidu. Nov. 143. & Nov. 150.* sed in raptorem, ac delicti complices, criminis conscios, vel ministros, raptorem, vel raptam sustinendo, aut in raptum opem ferendo, cujuscunque enim conditionis essent, capitaliter animadvertit, sive foemina volente, aut ea invita raptus commissus sit §. 8. *J. de publ. Jud. L. un. §. 2. C. de Rapt. virg. L. 5. §. ult. D. ad L. Jul. de vi publ. Nov. 143. & Nov. 150.* praeterea raptoris, ac delicti consciorum, omnia bona confiscantur, si scil. ingenua, aut puella Deo consecrata, rapinam passa *d. l. un. Cod. ejectis in exilium parentibus, si in rapinam consenserint, alias, parentibus*



tibus dissentientibus bona omnia adjudicabantur, eis vero deficientibus, aut jam mortuis similiter cuncta capiebat fiscus *Nov. 143. & 150.* & talis poena erat firma ac immutabilis, ut ab ea appellare non liceret, ratio legis exstat in *L. un. C. de rapt. virg. s. vid.* quia in raptu plerumque homicidium perpetratur, ac castitas semel corrupta, iterum restitui nequit; quando autem inhonesta foemina si meretrix abducta sit, raptum non committi asserit *Horr. comment. ad §. 8. f. de publ. Judic. n. 2.* quia altera allata ratio cessat, ac talis persona beneficiis Juris indigna est habenda *L. 29. C. ad L. Jul. de Adult.* hinc extraordinarie puniendus erit raptor. *Jus Canonicum* contrariae est sententiae, ac propter honorem sanctitatemve matrimonii, nuptias in raptorem ac raptam permittit, si raptae consensus degenerat in consensum *c. pen. 7. X. de Rapt. & incend.* Poena ecclesiastica vero in Laicos, excommunicatio sive anathema, in Clericos, ac officii remotio obtinet, per *c. 1. 4. 5. 6. C. 36. qu. 2.* ac poenitentia quinquennalis ad minimum. *D. Hofmann. cit. l. Cap. 3. §. 18. p. 69.* *Jure nostro patrio* distinctio notanda; an violento raptui, carnalis copula accesserit nec ne. Priori casu, capitalem luit poenam scil. gladii raptor, ac infans postea natus, respectu matris legitimus habetur. Posteriori vero casu sustigationis ac relegationis locus est, si commixtio carnalis non secuta. Si vero rapta in hoc crimen, dissentientibus parentibus, consenserit, ac subsecuta virginitatis delibatione, matrimonium inire desideret, hoc quidem non prohibetur, sed relegatione puniuntur ambo, ac parentibus praeterea filiam exheredandi Jus competit. *Pr. §. P. 1. Art. 2. p. 287. it. P. III. A. 8. p. 154.*

## §. 38.

Ultimo XI) *Jure Romano* prohibitum erat matrimonium Viduae intra annum luctus, marito nubentis sub poena infamiae *L. 1. C. de secund. Nupr. L. 10. 11. ff. de his qu. nor. infam. 1)* propter reverentiam defuncto marito debitam, ac 2) confusionem sanguinis & seminis, ac incertitudinem prolis, hic annus luctus vocabatur lugubris, ac prohibita illae nuptiae, audiebant acerbae *Nov. 39. c. 2.* Quamvis antiquissimis temporibus solummodo decem menses ad lugendum maritum constituti essent, *Valent. Forster. Histor. J. C. L. 1. c. 7. n. 8.* postea adhuc duo adjecti sunt menses, constitutione *Gratiani, Valentiniiani, ac Theodosii Imp. L. 2. C. de Sec. Nupr.*

De Vidua  
intra annum  
luctus nu-  
bente.

ita

ita ut per annum prohibitum esset matrimonium viduae, quia partus initio undecimi mensis editus, pro legitimo quoque reputandus *Nov. 39. c. 2. interim DD. & duodecimestrem, e foemina honeste vivente natum, admitti volunt STRYCK. de S. A. J. Diff. 1. c. 2. §. 16. ac GODOFRED. in not. ad Nov. 39. c. 2. an vero maritus uxorem lugere teneatur DD. dissentiunt arg. L. 8. §. 5. C. de Repud. licet §. 2. ejusdem Leg. obstrare videatur. Jus Canonicum Viduae ad secunda vota transitum simpliciter concessit c. pen. & ult. X. de secund. Nupt. vi dicti Paulini ad Rom. c. 7. v. 2. & 1 Corinth. 7. v. 39. ubi Apostolus dicit: Mulier viro suo mortuo, soluta est a lege viri sui: in Domino nubat, cui voluerit. Jure Borussiae olim per Edict. d. 15. Aug. 1716. ac 27. Julii 1720. in Corp. Constit. Prur. P. 3. p. 434. it. d. d. 20. Maji 1734. generaliter sancitum erat, ne Viduus intra sex Menses, ac Vidua intra annum lugubrem ad secunda vota accedat. Quia vero haec sanctio humana intuitu viduae, praesumptam graviditatem, pro palmaria prohibitionis ratione habet, qua cessante, & ipsa lex cesset, necesse est. In viduo autem plane nulla ratio deprehenditur, nisi externum decorum respiciatur, hinc Serenissimus Rex noster nuperrime, certis in casibus, Viduae & Viduo, mox post obitum conjugis secundas contrahere nuptias concessit. Verba Rescripti regii ad supremum Regimen sunt sequentia:*

Von Gottes Gnaden Friderich, König in Preußen. etc. etc. etc.  
 Unseren gnädigen Gruss und geneigten Willen zuvor. Hochwohlgebohrner Wohlgebohrne und Edle Rätthe, besonders Lieber, und Liebe Getreue. Wir haben auf Unserer Königsbergischen Krieges- und Domainen-Cammer gethane allerunterthänigste Vorstellung, und um den bisweilen sonst zu besorgenden Verderb der dortigen Bauer-Güter zu verhüten, resolviret, wollen auch hiedurch und in Kraft dieses vors künftige festgesetzt haben, daß denen Bauer-Wittiben, wenn selbige nach Absterben ihrer Ehemänner, in das Kind-Bette gekommen, oder sonst erweislich machen können, daß sie nicht schwanger sind, so wohl, als denen Bauer-Wittibereu erlaubet seyn solle, sich, ohne die gefetzte Trauer-Zeit abzuwarten, so gleich wieder zu verheyrathen, welche Unsere Willens-Meynung Ibre  
 denn

denn nicht nur aller nöthiger Orten bekannt zu machen,  
sondern auch Eures Ortes Euch allergehorsamst und eigentlich  
darnach zu achten, und Wir sind Euch mit Gnaden und ge-  
neigtem Willen wohl beygethan. Gegeben Berlin, den 8.  
Julii, 1744.

Friderich.

An  
die Preussische Regierung.

Brand;

§. 39.

Hiscæ itaque Dissertationi meæ terminum pono. Equi- Conclussio.  
dem permulta, Themati congrua essent adhuc in medium profe-  
renda, attamen brevitatis ductu calamum subtraho. Quæ, si  
L. B. ad palatum non sint tuum, me Tyronem, simulque hominem  
esse benevole perpendas, meliora autem, fautore Deo,  
crescentibusve viribus expectes.

SOLI DEO GLORIA.



**W**as hilfts, wenn man die Weisheit kenne,  
 Sich ihren ächten Schüler nenne,  
 Fast alle Wissenschaften treibt?  
 Und dennoch im verborgnen sitzt,  
 Nur sich, und sonst keinem nützet,  
 Nur bloß sein eigner Lehrer bleibe?  
 Wer wird wohl dessen Lob erheben,  
 Der nur im Finstern sucht zu leben,  
 Ist er gleich noch so sehr gelehrt?  
 Den aber wird ein jeder ehren  
 Der mit den wohlgefaßten Lehren  
 Auch andern ihr Erkännniß mehret.  
 Freund! Du mußt Dich zu diesen zehlen,  
 Du willst dein Wissen nicht verheelen,  
 Drum legt es diese Schrift uns dar;  
 Die deinen edlen Trieb erhebet,  
 Durch welchen Du nach dem gestrebet,  
 Was deines Wunsches Endzweck war,  
 Was vieler großen Männer Schriften  
 Den Rechten für Gesetze stiftet,  
 Was selbst Justinian verfaßt,  
 Und was uns unser Land-Rechte zeigt,  
 Dem warst Du stets so zugeneiget,  
 Daß Du es fast erschöpft hast.  
 Nun lässest Du auch andern sehen,  
 Was durch den Fleiß an Dir geschehen,  
 Um den Du Dich noch jetzt bemühest.  
 Du trittst hervor, um deine Sachen  
 Vor aller Augen fest zu machen,  
 Da Du des Lehrers Beystand siehst.  
 Auf denn! behaupte deine Säge,  
 Daß man daraus dein Wissen schätze,  
 Mit den Du Dich hervor gethan,  
 Bis Dir nach eifrigem Bemühen  
 Ein recht beständig Glück wird blühen,  
 Das deinen Schweiß belohnen kan.

Mit diesen wenigen Zeilen hat dem Verfasser  
 dieser gelehrten Schrift aufwarten und sich  
 dem beständigen Andenken seines theuren  
 Freundes empfehlen wollen

Theodor Jacob Suchland, J. V. C.

Königsberg, Diss., 1740-99


ULB Halle 3  
004 587 936



f 1018

sb.







B.I.G.

Farbkarte #13

Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

Black

Q. D. B. V. 1744, 3

DISSERTATIO JURIDICA,

QUAM,

OCCASIONE EDICTI REGII D. III. JUNII MDCCXL. PUBLICATI,

DE EO QUOD JUSTUM EST

CIRCA

# INCESTUM JURIS CIVILIS

SUB EXORDIO NATALIS ACADEMIÆ REGIOMONTANÆ TERTII,  
*CONSENTIENTE MAGNIFICO FCTORUM ORDINE,*

PRÆSIDE

DN. STEPHANO WAGA

J. U. D. & P. P. h. t. DECANO

SUPREMI IN REGNO BORUSSIÆ TRIBUNALIS CONSILIARIO,

PRÆCEPTORE SUO,

PLACIDO ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

AUCTOR


THEODORUS REINHOLDUS SCHWEDER

J. II. CULT. REG. BOR.

AD DIEM XXV. SEPT. MDCCXLIV.

IN AUDITORIO MAXIMO.

HORIS CONSVETIS.



REGIOMONTE, PRELO DORNIANO.